

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||  
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

**Joachim <von Fiore>**

**Venetiis, 1589**

Vaticinivm XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-248994](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248994)

ADNOTATIONES

non tantum hæreticum, & pseudomagum à Scaligero reprehensum in errores traxit: sed plures se inextricabilibus labyrinthis implicauere, qui hæc ad inanes inuentiones, & futiles sui capitis cogitationes applicauere.

VATICINIUM XV.

**I**N præfatione diximus aliquos hæc vaticinia transacta, & præterita fuisse magnis, & probabilibus coniecturis asserere, alios rotæ similia circūuolui pertinaciter defendere; nobis autem persuasum est, non sibi coherere hæc ita vt coniunctè ferantur, nec ita circūuolui, vt cum ad postremū deuentum fuerit, ad primū regrediamur: sed per interualla temporum hæc suos euentus habere, & tantum maximis rerum, & successuum demonstrationibus, & effectibus expleri, & agitari. Nos etsi mathematicas demonstrationes huiusce sententiæ nõ sumus in medium allaturi: id tamen compertum nobis est, huiusmodi artem vaticinandi Abbatem in oriente didicisse, & numeris instructum, & fretum ea scrutatus est, quæ postea obscurè suis dictis, figurisque inuoluit. Potuissemus etiam in superioribus vaticinijs aliqua recensere ad literas numerales, & ad numerorum figuras attinentia; Verum hic locus nobis aprior visus, in quo aliquod specimen huiusce opinionis præberemus; nec miretur quispiam, si breuiores erimus, nec omnia dixerimus, quæ de hac arte differi possent. Sciant omnes, nobis satis esse nunc tantum attingere, vberius ista tractaturi, si primos hos fructus hominū gustibus gratos fuisse intelligemus. Est orientalis natio (vt rem tandem aggrediar) admodum vaticinijs dedita, huic admodum familiaris suis peregrinationibus Ioachimus Abbas fuit, præsertim Græcis, & ob linguam, quam callebat, cum in magna Græcia natus esset, in qua hodie etiā Græca verba resonare audimus. Est igitur admodum domesticum, & tritum inter

eos



IN VATICINIA.

eos, ex principio, & fine suarum cogitationum sibi viam ad cognoscēdos futuros exitus Rythmomātia præstruere. Hāc secutus est Abbas ipse, dum quindecim imagines per quindecim numerorum curriculum protraxit. Itaq; (vt est in confesso apud omnes) cum anno 1277. incepisset per interstitia, interualla interrupta, & non continuata serie quindecies multiplici aggressione numeri illarum significationes futuras vidit, vaticinatusque præduxit, sicque ex numeris, à primo impari, vsque ad vltimum imparem, vnitatem subtracta, in se ductis, numerum ducentorum vnginti quinque annorum conclusit, in quibus quot, quantaque superuentura essent Dei Ecclesiæ vsque ad finem Pontificatus Alexandri VI. prædixit. Altiora speculātes possent plura in medium afferre; præsertim cum hæc satis conueniant cum Hebræorum Secundis, siue Intelligentijs regentibus orbem, qnarum Tritthemius proprio de ijs libro conscripto, meminit, interim silentio præteriens quidnam occultiores, & secretiores Hebræorū sapientes suis Zyruphim abscondant. Certè hoc nostro indicio veritatem vaticinij huius quisque peritus, & acumine pollens ex historia eruet, & facilius præcedentia intelliget, ad Pseudomagi in quem insurgit Scaliger, stultitiam, & hæresim coarguendā, & ad seriem subsequēntium clarius constituendam, & facilius enodandam.

VATICINIVM XVI.

**C**Vidam Anselmo Episcopo adscribuntur sequentia, nos Ioachimo, alij Rabano cuidam accepta ferunt, suum esto cuiusque iudicium per me factum tectum, modò superioribus connectantur. Quorum serie eundem annorum numerum claudi censemus, quo superiora circumscripta sunt; atque ita ijsdem rationibus ductis ad 1728. duci; cuius numeri in fine harum adnotationum signifi-